

CATULLI CARMEN LXXXV

ODI

—

ET

—

AMO

Poēta intellēxit Lesbiam īnfīdam et amōre suō indignam esse, neque tamen dēsiit eam amāre. Ecce duo versūs quī mentem poētae dolentem ac dubiam inter amōrem et odium dēmōnstrant :

Ōdī et amō ! Quārē id faciam, fortasse requīris?

Nescio; sed fierī sentiō et excrucior !

1 ōdī [ego] ↔ amō

quārē = cūr : Cūr id faciō? Cūr id agō?


fortasse = fortassis, forsitan, forsan, forte, casū, fortuitō

requīris [tū] < requīrere = interrogāre, quaerere

2 nescio [*vocalis -o correpta est*] = nōn sciō [quid respondeam]

fierī sentiō : ita esse sentiō, id est, eōdem tempore amōrem et odium sentiō¹

excrucior [*< ex-cruciāre=valdē cruciāre=magnīs dolōribus afficere*] = magnīs dolōribus affectus sum
crux, crucis = instrumentum cruciātus et supplicī



¹ Vidē Familiae Rōmānae cap. XI 89-90: "Puer digitum medicī in pede suō sentiō".